# SPECULUM
# CONSCIENTIAE

IN USUM

**SACERDOTUM,**

PRAESERTIM EORUM,

**QUIBUS CURA ANIMARUM DEMANDATA EST.**

AUCTORE

**ALOYSIO SCHLŐR.**

EDITIO SECUNDA
POŽEGAE IN SLAVONIA 1938.
TYPIS ANT. KURTNAKER (GRAFIKA).

IMPRIMATUR.

Zagreb, 4. III. 1938.

Dr. SALIS, Eppus.

PRIMA EDITIO ZAGREBIAE 1851.
TYPIS FRANCISCI SUPPAN.

# SPECULUM CONSCIENTIAE

## IN USUM

## SACERDOTUM.

„Admove speculum; foedus se in eo vultus agnoscat... inspice, ne forte, etsi sit, unde merito placeas tibi, etiam, in quo debeas displicere, non desit. Volo glorieris testimonio conscientiae, sed non minus, ut eodem humilieris. Cautior in bonis ambulas, si et mala non lateant.“

S. Bernardus.

## I. DE FIDE.

„Justus autem ex fide vivit.“ Rom. 1, 17.

Interroget se sacerdos:

An firmiter et sincere credat omnia et singula, quae Ecclesia romano-catholica credenda proponit? — An fides ejus vere positiva et divina sit, id est, subnixa auctoritati Dei revelantis et Ecclesiae infallibiter docentis, non autem incertis speculationibus rationis privatae? — An mysteria religionis curiose perscrutari praesumserit, cum periculo, circa fidem naufragandi? — An dubia circa veritates revelatas sponte sua foverit,

aliisve suggesserit? — An rectam fidem contra ejus adversarios intrepide et prudenter defenderit? — An ex respectibus humanis seu ex falsa verecundia, divinam fidem negaverit vel dissimulaverit, aut aliquod opus pietatis vel officium non adimpleverit? — An de rebus religiosis, coram clericis sive coram laicis, leviter, injuriose aut etiam cum irrisione et contemtu locutus fuerit? — An verbis sacrae scripturae vel ceremoniis sacris in jocum frivolum et inhonestum abusus sit? — An (si fas est cogitare!) laicos malo consilio in errorem induxerit, dicendo, hoc vel illud non esse de fide, vel non esse peccatum? — An libros, qui rectam fidem impugnant, vel bonos mores pessumdant, ex pravo fine aut ex curiositate, sine debita licentia legerit aliisve dederit? — An periculosam cum incredulis et haereticis familiaritatem habuerit, etiam cum scandalo aliorum? — An falsas et noxias doctrinas corrupti saeculi moresque spiritu christiano adversos adoptaverit, defenderit, et iisdem vitiose se accommodaverit? — An ab indifferentismo, quem dicunt, religioso, qui contra unam et solam salvificam ecclesiam pugnat, abhorreat aliosque avocare studeat? — An de beatissima Virgine Maria et de Sanctis orthodoxe et reverenter sentiat? — An



nonulla dogmata divina et instituta Ecclesiae non vilipenderit aut vituperaverit, ex. gr. sacram confessionem, indulgentias, jejunium, ordines religiosos, coelibatum, breviarium etc.? — An de Pontificibus Romanis eorumque juribus primatialibus minus honorifice senserit aut locutus sit? — An decretis Pontificiis, canonibus Ecclesiae, mandatis Episcopi aliorumque Superiorum reverentiam et oboedientiam exhibuerit, nec umquam illos aut eorum praecepta conviciatus sit aut ludibrio habuerit? — An characterem sacerdotalem etiam in collegis digne aestimaverit, et fraternam concordiam cleri tum saecularis tum regularis pro gloria Dei promovere allaboraverit? — An clericos et laicos devotos rectaeque fidei tenaces charitate, fiducia, veneratione prosequatur, eorumque pia consilia adjuvare studeat? — An fidem, sine qua salus non est, assiduo disciplinarum theologicarum studio, oratione, nec non pia vita magis magisque in se excitare et corroborare satagat?

## II. DE PIETATE.

„Sancti erunt Deo suo, et non polluent nomen ejus.“
Levit. 21, 6.

Interroget se sacerdos:

Ex quo motivo statum clericalem susceperit, utrum vocante Deo et zelo salutis ani-

marum impellente, an ex levitate, bonorum temporalium desiderio, voluptuosae et commodae vitae studio? — Qua via Sanctuarium ingressus sit, seu beneficia ecclesiastica obtinuerit, utrum meritis probae vitae, an simulatione, obsequiis erga magnates, artificiis minus honestis? — An ingentem sacerdotii dignitatem, vitaeque, quam requirit, perfectionem singularem identidem perpendat, et amorem status clericalis in se excitet et nutriat? — An orationis studium, sine quo virtus non subsistit, quam diligentissime colat, nec ulla die negligat aut fastidiat aut leviter tractet? — An officium Breviarii, ex oboedientia erga S. Ecclesiam, singulis diebus attente, devote, integre justoque tempore persolvat, nec (quod grave peccatum foret) ex toto vel ex parte omittat[1]),

[1]) Beneficiati, pensum canonicum non persolventes, non modo graviter peccant, sed etiam fructus beneficii, pro rata omissionis officii, amittunt, quos in fabricas beneficii vel in pauperum eleemosynas erogare tenentur, ex decreto Concilii Later. quinti anno 1514 habiti sess. 9. — Quod quidem decretum uberius explicat constitutio Pii V. a. 1571: „Statuimus, ut, qui omnes horas canonicas uno vel pluribus diebus intermiserit, om-



aut (quod gravius adhuc) contemnat et coram aliis, praecipue junioribus, irrideat? — An Breviarii recitandi methodum probe calleat et exacte observet? — An non quaedam devotionis exercitia et pia sodalitia ab Ecclesia approbata spernat aut reprehendat? An lectioni spirituali et meditationi singulis diebus vacet? — An saepius recollectionem spiritualem instituat, singulis (ut multi suadent) mensibus, saltem semel per annum? — An SS. Sacramentum saepe visitet et devote adoret? — An Beatissimam Virginem singulari devotione colat? — An examen conscientiae vespertinum, tantopere utile et necessarium, quotidie et diligenter instituat? — An confessionem sacramentalem saepe, imo saepissime (ad minimum singulis mensibus) et cum debita dispositione peragat? — An numquam sacrilegae confessionis reum se fecerit? — An confessarium pium et peritum (quantum fieri potest) in stabilem conscientiae moderatorem

nes beneficii seu beneficiorum suorum fructus, qui illi vel illis diebus responderent, si quotidie dividerentur; qui vero Matutinum tantum, dimidiam; qui caeteras omnes horas, aliam dimidiam; qui harum singulas, sextam partem fructuum ejusdem diei amittat.“ Ex proximo Lateranensi.

ducemque spiritualem sibi elegerit? — An numquam de gratia et misericordia Dei aut temere praesumserit, aut desperaverit? — An contra sanctas inspirationes, quas subinde sensit, in impoenitentia perseveraverit? — An mortificationi et poenitentiae, sine qua nemo intrat in regnum Dei, pro viribus studuerit? — An nunquam pietatem et virtutem, qua carebat, simulaverit, et ex quonam fine? — An de ingenio aut virtute sua superbierit, et laudes aliorum captaverit? — An aliis gratiam divinam, pietatem populique favorem inviderit? — An temerariis de proximo judiciis et suspicionibus injustis indulserit? — An in sacris functionibus exercendis lucrum potius temporale, quam gloriam Dei et salutem animarum intenderit? — An praecipue in Missae sacrificio celebrando omnem turpem quaestum, imo et speciem avaritiae vitaverit? — An omnia, quae possidet, juste et legitime acquisierit, nec duris exactionibus populum offenderit? — An bona ecclesiastica seu sanctum depositum rite et fideliter administret, sine praejudicio successorum? — An omne peculium suum, etiam proprium patrimonium, ita impendat, ut clericum decet, scilicet sibi ipsi in rebus necessariis et quae statui suo conveniunt, providens, et reliqua in pias causas,



pro ecclesiis et pauperibus, convertens? — An non contra sanctiones canonum ecclesiasticorum cognatis aut familiaribus locupletandis injuste et cum offendiculo fidelium studeat? — An pauperes et afflictos eleemosyna aliisque subsidiis temporalibus et spiritualibus adjuvet? — An templorum, paramentorum totiusque supellectilis sacrae nitorem et decorem pro viribus curet et promoveat? — An ad multa et magna sacerdotii officia rite implenda usum temporis religiosissimum instituat? — An continuae occupationi, non quidem circa res profanas, sed sacras et statui consentaneas, studeat, et pessimum otium fugiat? — An negotia sua justo ordine secundum prudentem et piam vitae regulam faciat? — An ex bona intentione cuncta peragat, non pro hoc saeculo laborans, sed pro aeternitate? —

## III. DE MODESTIA.

„Modestia vestra nota sit omnibus hominibus.“
Philipp. 4, 5.

Quaerat ex se sacerdos:

An in genere conversatio ipsius talis sit, ut populo fideli in aedificationem inserviat, non in scandalum et ruinam? — An non peccata aliena (quae in pravo sacerdote vere

innumerabilia existunt) in caput suum congesserit, et malo exemplo, et ignavo silentio, et conniventia, et incuria, et (quod maxime abominandum) seductione? — An angelicam castitatem, insigne cleri decus, solicite servaverit, non tantum ab omni opere inhonesto sed etiam ab omni turpi aspectu, verbo, imo et cogitatione et desiderio voluntario abstinens? — An non sciens volensque in periculum perdendae castitatis se injecerit, aut graves carnis tentationes sua culpa ipse sibi paraverit? — An, famae sacerdotali religiose consulens, speciem quoque mali vitaverit, nec v. g. frequentiori cum feminis, praesertim junioribus, conversatione, longiori et blandiori confabulatione (etiam in confessionali) aliisque rebus suspicionem aliorum moverit? — An temperantiae, quae est custos castimoniae, tum in cibo, tum in potu studuerit, nec aliis intemperantiae causa exstiterit? — An excessu in edendo aut bibendo alios scandalisaverit, vel dies festos profanaverit? — An peccatis intemperantiae ad officia status sacerdotalis inhabilem se reddiderit aut sanitatem pessumdederit? — An jejunia praescripta non violaverit, vel alios ad violandum jejunium induxerit, etiam cum scandalo fidelium? — An loca publicae oblectationi dicata et clericis prohibita, ut cauponas,



theatra etc. adierit, aliosve clericos illuc duxerit? — An nimium temporis in voluptate et delectatione, in epulis et compotationibus, in visitationibus, in otiosis itineribus insumserit, cum neglectu etiam graviorum officiorum? — An a nimio et incovenienti lusu, a choreis, a venatione strepitosa abstinuerit juxta canonum sancita? — An in habitu clericali et modesto semper comparuerit, tonsuram quoque et collare deferat, nec vestem talarem horreat, sed saltem domi et in ecclesia et in functionibus sacris ea indutus sit? — An ab omni luxu et vanitate, quae spiritum saeculi redolet, tum in vestitu, tum in supellectili domestica alienus sit? — An immodicas et inutiles expensas faciat, et sine justa causa debitis se oneraverit? — An debita fors contracta quamprimum solvere et promissis stare allaboraverit, ne fides sacerdotalis dehonestetur? — An ab omni fraude et mendacio abstinuerit? — An linguam solicite compescuerit, vitando multiloquium, nugas, confabulationes profanas, verba praecipue detractoria et inhonesta? — An famam proximi injuste laesam restituere sategerit? — An in publico, et imprimis in ecclesia, habitu, gestu, incessu modestum et religione plenum se exhibuerit?

# IV. DE PRAECIPUIS MUNERIBUS SACERDOTALIBUS.

## A. De augustissimo Missae Sacrificio.

„Maledictus, qui facit opus Domini fraudulenter.“ Jerem. 48, 10.

Se interroget sacerdos:

An methodum, rite celebrandi Missam juxta rubricas in Missali contentas[1]), addiscere et religiose observare studuerit? — An praeprimis res essentiales et gravissimi momenti, videlicet confectionem SS. Eucharistiae, consecrationem minorum particularum, purificationem ciboriorum, probe noverit, ne invalidae aut valde dubiae consecrationis reus efficiatur? — An peccati mortalis sibi conscius, sine praevia digna confessione, quam facere potuisset[2]), Missam celebraverit? et num hoc ex falsa verecundia, animi levitate fecerit, an etiam cum contemtu? — An in statu peccati mortalis existens, et copia confessarii carens, et ad Missam celebrandam propter officium compulsus, saltem perfectam

[1]) Has rubricas singulis annis saltem semel relegat sacerdos, nec non orationes, quas memoriter recitare debet.

[2]) In tali casu ne vereatur, obvio cuique sacerdoti, etiam collegae, confiteri.



contritionem antea elicuerit, cum proposito, quantocius confitendi? — An examen conscientiae quotidianum plerumque negligens, et sacram confessionem raro imo rarissime faciens, gravi et continuo periculo se exposuerit, indigne celebrandi et Sacramenta administrandi? — An a media nocte perfecte jejunus (h. e. quin vel tantillum sive deliberate sive indeliberate, nec etiam in modum medicinae, comederit aut biberit) Missam semper celebraverit? — An communem et antiquum Ecclesiae usum, ante Missae celebrationem Matutinum et Laudes persolvendi, absque justa causa et plerumque negligat? — An ad tremendum sacrificium solicite se praeparet oratione tum vocali tum mentali, saltem per horae quadrantem?[1]) — An in habitu convenienti, id est talari celebrare so-

[1]) Cui nonnullis diebus propter alia sacra officia peculiare tempus non suppetit, hanc praeparationem immediate ante Missam faciendi, is saltem pridie, dum cubitum pergit, pie meditetur de tremendo Sacrificio, quod sequenti die oblaturus est; et die ipsa, cum de lecto surgit, cum preces matutinas recitat, cum ad altare appropinquat, breves et ignitas orationes fundat.

leat? — An numquam paramentis laceris et sordidis, calice et patena notabiliter fractis aut pulvere defoedatis, linteis porro (Alba, Palla, Purificatorio, praecipue Corporali) sordidis et laceris usus fuerit?[1]) — An inter induendum inutiles et jocosos sermones cum adstantibus miscere soleat?[2]) — An in accessu ad altare, in recessu, in ipso actu Celebrationis, modestiam externam circa incessum, gestus, praecipue circa occulos ab omni aspectu curioso cohibendos observaverit, genuflexiones etiam et inclinationes praescriptas nec omiserit nec irreverenter fecerit? — An exposito praesertim SS. Sacramento, vel in processione deferendo, venerationem exhibuerit, quae decet, plane singu-

[1]) Talia prius perquirat sacerdos, videns etiam, an hostia posita sit super patena. — Missale ante lotionem manuum evolvat et signacula ordinet, consulens Directorium in Sacristia appensum, ut sciat, quot commemorationes et quo ordine faciendae, an Gloria et Credo dicenda sint etc.

[2]) Ejusmodi garritus distrahit sacerdotem celebraturum, et populum parum aedificat. Sacristia est locus sacer, ubi silentium servetur. Dominus enim prope est!



larem? — An pro celebrando debitam intentionem et applicationem[1]) facere non intermiserit? — An orationes memoriter dicendas bene calleat, illas etiam, quas ante Missam sacerdos dicit, dum lavat manus, sacrisque vestibus se induit? — An discrimen observet circa orationes, alias quidem clara, alias submissa voce recitandas, praecipue in Canone et in verbis Consecrationis? — An in orationibus singula verba sive legenda sive memoriter dicenda distincte proferat, ut se ipsum audiat, non forsitan Missale occulis tantum percurrendo, verba mente tantum enuntiando, aut syllabas et verba, imo integras propositiones deglutiendo? — An non, quod longissime absit, cum scandalo populi fidelis Missam acceleret et praecipitet, vix ultra quadrantem horae in hoc sanctissimo

[1]) Intentio est voluntas faciendi id, quod facit Ecclesia, nempe celebrandi sacrificium a Christo Jesu institutum juxta ritum S. Romanae Ecclesiae. Hoc sacrificium simul o f f e r a t u r Deo ad quatuor fines adorationis, propitiationis, petitionis et gratiarum actionis. Hanc intentionem et oblationem breviter complectitur oratiuncula ad calcem Breviarii posita: „Ego volo celebrare Missam etc.," quam quilibet sa-

opere insumens?[1]) — An Missam de Requiem (praesertim privatam) celebrare praesumserit diebus, quibus per rubricas prohibetur? — An hostias, quas corruptioni proximas, fractas aut maculatas vidit, obtulerit et consecraverit? — An ss. hostias monstrantiae et ciborii saepius (singulis mensibus) renovare non intermiserit? — An debitam curam adhibuerit, ne vinum jam corruptum aut quod corrumpi coepit, consecraret; et si hoc culpate vel inculpate accidit, an defectum hunc juxta instructionem Missa-

cerdos memoriter scire deberet. — Facienda est etiam applicatio fructuum specialium Missae pro illo, qui dedit stipendium vel fundavit, saltem mentaliter. — Tum intentio tum applicatio ordinarie fiat in praeparatione ad Missam. Repeti etiam, sed brevissime, potest ab altare ante descensum ad infimum gradum. Ad minimum autem applicatio fieri debet ante consecrationem, etiamsi sit Missa pro defunctis.

[1]) Ex hoc accelerationis studio fit, ut variae orationes omittantur, multae ceremoniae (crucesignationes etc.) negligantur, preces ab initio Missae ante gradus altaris simul cum ministro confuse deblaterentur etc. etc.



lis debite suppleverit?[1]) — An in admixtione aquae ad vinum debitam cautionem adhibuerit, ne consecratio invalida foret aut dubia?[2]) — An Canonem Missae justa cum attentione ac reverentia pertractaverit non memoriter recitans, sed ex libro legens, saltem saepius introspiciens? — An praeprimis divina Consecrationis verba cum intentione et attentione debita, submissa voce, sed distincte et maxime reverenter protulerit?[3]) — An in collectione fragmen-

[1]) Quae in Missali de defectibus circa Missam subinde occurrentibus notantur, saepius legenda et ponderanda sunt.

[2]) Ad summum tertia pars aquae admisceatur. Ut omne dubium tollatur, usus, parvorum cochlearium commendari meretur.

[3]) Postquam sacerdos dixit: „Accipite et manducate ex hoc omnes“ vel: „Accipite et bibite ex eo omnes,“ per momentum pauset, attentionem suam ad tantum opus excitans et intentionem renovans, cogitando: „Volo consecrare, ut Christus Dominus in ultima coena consecravit, vel ut S. Ecclesia romana consecrat.“ Deinde statim proferat verba Consecrationis, non quidem praecipitanter, ast nec nimis lente aut interrupte, sed continue et reveren-

torum SS. Hostiae et detersione Patenae, a qua fragmenta in Calicem mittantur, (sicut et in purificatione Ciboriorum saepe facienda) tanta diligentia usus fuerit, quanta exspectatur a sacerdote qui credit, in minima particula consecrata vere et integre esse Jesum Christum? — An parem diligentiam adhibuerit in purificatione Calicis, ut nempe eadem via, qua Sanguis sumtus fuit, vinum purificationis[1]) sumeret? — An sacratis speciebus debitam reverentiam praestiterit, cavendo, ne hostia[2]) aut gutta sanguinis in terram decideret, aut digitis non consecratis tangeretur? — An in tractanda et sumenda utraque specie sacramentali, pariter in ministranda fidelibus SS. Eucharistia, externam quoque devotionem prae se tulerit, quae Deum honoraret et populum aedificaret? — An cum modeter. — Inter pronuntiandum verba Consecrationis, ne in actu tanti momenti erret vel turbetur, Missale aut Tabellam Secretarum ante occulos positam inspiciat.

[1]) Quod in eadem quantitate infundi debet, sicut in oblatione.

[2]) Si in communicando populo hostia aut fragmentum hostiae in terram deciderit, locus purgari debet, quemadmodum in Missali indicatur.



stia religiosa ab altari recesserit, vestes sacras non abjiciendo, sed reverenter exuendo, idque in silentio, nequaquam (horrendum dictu!) garriendo, jocando cum adstantibus, dum divinus hospes in cordis penetralibus residet? — An post Missam gratiarum actionem fecerit, saltem per quadrantem horae?[1]) — An stipendia Missarum quam primum et quam optime notaverit, h. e. tum intentiones singulas a benefactoribus assignatas, tum pecuniae summam acceptam, clare etiam distinguens, quaenam intentiones jam persolutae sint?[2]) — An

[1]) Haec gratiarum actio statim, postquam sacerdos paramentis exutus est manusque lavit, ordinarie facienda est, et quidem in loco publico, ut laici exemplo sacerdotis discant, quid post S. Communionem agere deceat. Si proxime post Missam confessiones excipiendae sint aut aliud negotium s a c r u m urgeat, gratiarum actio non tantum potest, sed et debet differri aut impraesentiarum abbreviari; non tamen omnino omittatur, sed saltem in precibus vespertinis fiat. Dignum enim et justum est, pro tanto munere semper et ubique gratias agere.

[2]) Observentur exacte, quae desuper in nostra dioecesi praescripta sunt, ne superveniente inopinata morte dubiis sit locus. Pe-

stipendiorum copiam justo majorem coacervaverit, aut superstitionem populi ex avaritia nutriverit? — An (si vel cogitare fas est!) simoniam circa Missarum stipes exercuerit, plures intentiones injuste contrahendo aut ex stipe accepta aliquid defraudando? — An intentiones justo tempore persolverit, non nimis differendo, praecipue pro defunctis, pro felici partu, pro infirmis et moribundis?[1]) —

## B. De administrando Poenitentiae Sacramento.

„Videte, quid faciatis. Non enim hominis exercetis judicium, sed Domini.“ 2 Paralip. 19, 6.

Se interroget sacerdos:

An de modo, confessiones digne et utiliter excipiendi, probe instructus sit, et de eodem continua lectione[1]) se instruat? —

---

cunia etiam stipendiorum separetur a reliqua possessione, nec prius expendatur, quam Missae celebratae fuerint.

[1]) Ad ritum, praecipue SS. Missae, melius addiscendum commendari meretur „Manuale rituum etc. auctore Chr. Höflinger, Ratisbonae,“ nec non S. Alphonsi a Ligorio „Handbuch für Priester.“

[1]) Huic usui optime inserviunt: „Praxis confessarii“ auctore Zenner. — S. Alphonsi



An numquam sine necessaria jurisdictione absolverit, praesertim in casibus Summo Pontifici aut Episcopo reservatis (quos quidem bene nosse debet sacerdos, sicut et formulas absolvendi a censuris et a peccatis)? — An cum debita reverentia et convenienti loco confessiones exceperit (quantum fieri potest, in ecclesia, et diebus saltem festivis rocchetto et stola violacea indutus)? — An sedulus fuerit in hoc munere, imo indefessus, non tantum vocatus ad confessionale libenter accedens, sed etiam poenitentes exspectans et attrahens? — An poenitentes comiter et benigne exceperit[1]) non cum indignatione et duris verbis repulerit? — An poenitentes, praesertim hebetes, patienter audierit, non sine justa causa eos interrumpendo, nedum

---

a Ligorio „der Beichtvater“ — ejusdem Sancti opus majus, quod inscribitur: „Homo apostolicus.“

[1]) Ille, qui hac hora tibi confiteri vult, o sacerdos, in optima nunc animi dispositione esse potest, quam serius non habebit: imo fortasse, a te repulsus vel in aliud tempus propter commoditatem tuam procrastinatus, sine confessione morietur, aut ex indignatione non amplius confiteri volet.

(ut res cito finiatur) silentium imperando? — An gravissimum confessarii officium haud neglexerit, interrogandi poenitentes de rebus necessariis, ut de scientia religionis, de vitiis hujus aevi dominantibus et de iis, quae persaepe reticeri solent? — An praeteritarum quoque confessionum valorem apto examine scrutatus fuerit?[1]) — An ad confessionem, quam dicunt, generalem seu totius vitae, si necessaria aut utilis videbatur, poenitentes adegerit et monuerit, in eaque facienda diligenter adjuverit? — An propter majorem populi concursum in audiendis confessionibus nimis festinaverit, cum manifesto periculo sacrilegiorum?[2]) —

1) Plurimae confessiones invalidae reperiuntur, praecipue ex defectu verae contritionis. Qualis enim est contritio hominis per longam annorum seriem semper quidem confitentis, ast continuo in eadem crimina relabentis? Debet ergo etiam de praeteritis confessionibus inquisitio fieri, ne ruinoso fundamento aedificium superstruatur.

2) Imitemur S. Alphonsum dicentem, se rationem redditurum Deo, non de poenitentibus, quos audire ob temporis angustiam nequiverit, sed de iis, quos audiverit. Cogita, o sacerdos, illum, quem nunc confitentem audis, forsitan ultima vice confiteri in sua vita, ejusque animam tua culpa perire posse, nisi tu omnem industriam adhibeas, ut digne confiteatur.



An interrogando de rebus obscoenis omnem curiositatem, immodestiam et imprudentiam vitaverit? — An in feminis, praesertim junioribus, audiendis serium et gravitate plenum se exhibuerit, omnem speciem mali solicite fugiens?[1]) — An in conjugatis ad impedimenta matrimonii fors obstantia et ad ea, quae usum matrimonii prohibent, diligenter adtenderit? — An confessiones parvulorum, quae maximi sunt momenti, debita cum diligentia et affabilitate exceperit?[2]) — An in confessionali etiam officium magistri adimpleverit, paterna monita poenitentibus suggerens et rudes de primis saltem elementis fidei examinans et instruens? — An in elicienda vera contritione, quae pars est maxime essentialis, piis verbis allaboraverit? — An de digna et salutari satisfactione injungenda cogitaverit, nec non de periculis et

1) Feminas confessuras non licet audire in cubiculis privatis, nec sine interposita crate.

2) Prima quoque s. Communio parvulorum cum quadam solemnitate instituenda esset.

occasionibus peccandi removendis aut minuendis? — An peccatores, praecipue consuetudinarios, ad frequentius confitendum adstrinxerit, et in genere circa frequentiam Sacramentorum usui piorum et peritorum sacerdotum non contradixerit, sed se conformaverit? — An in absolutione impertienda vel deneganda vel differenda laxismum aeque ac rigorismum moralem evitare studuerit, unice intendens gloriam Dei et fidelium salutem? — An in confessionibus procerum, nobilium, sacerdotum, audiendis indebitos respectus humanos vitaverit? — An verba absolutionis, (tum a censuris, tum a peccatis) cum debita attentione et intentione proferat, non ex mero habitu, et mechanice, ut ajunt? — An dignum et salutarem usum Indulgentiarum aliaque opera devotionis ab Ecclesia approbata commendaverit et promoverit? — An sigillum sacramentale nec directe nec indirecte violandi curam habuerit plane singularem?

## C. De cura infirmorum.

„Quis infirmatur, et ego non infirmor?" 2 Cor. 11,29.

Se interroget sacerdos:

An nullus aegrotorum ex ipsius incuria aut negligentia sine Sacramentis obierit? — An confessionem aegroti (quae plerumque



ultima est ideoque optima esse deberet) maxima cum solicitudine exceperit, praecipue quod contritionem attinet, de praeterita etiam vita (quantum fieri potest) examinans et defectus pristinarum confessionum reparans? — An graviter aegrotantes de re familiari mature et juste ordinanda monuerit, nec non de officio restituendi bonum alienum, famam proximi, vel se reconciliandi cum inimicis, scandala tollendi etc.? — An aegrotos de effectibus Extraemae Unctionis[1]) et benedictionis Apostolicae, quam recepturi erant, prius (saltem paucis verbis) instituerit? — An aegrotos (quantum potuit) saepius visitaverit, modumque docuerit, infirmitatem corporis in salutem animae convertendi? — An agonisantibus quoque, qui haud raro periculosis tentationibus infestantur, assistere non recusaverit? — An data opportunitate, sanos in domo degentes ad pietatem instruendi, usus sit? — An pauperes aegrotos et derelictos subsidio quoque temporali et prudenti consilio juvare et consolari non intermiserit?

---

[1]) Forma Sacramenti eodem tempore pronuntiari debet, quo unctio peragitur, nec loca inuncta prius abstergenda sunt, quam pronuntiatio ferme finita est.

## D. De munere concionandi.

„Praedica verbum; insta opportune, importune, argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina.“ 2. Tim 4, 2.

Se interroget sacerdos:

An in doctrina fidei et morum probe versatus sit, eaque penitius addiscenda sedulo occupatus? — An fidem quae virtus infusa donumque Dei est, identidem humili prece a Deo petat, in se excitet et exerceat, ut ex corde ad cor populi loquatur? — An ad conciones habendas mature tum oratione tum studio se praeparet?[1]) — An in delectu materiarum et modo, easdem publice tradendi, non propriam commoditatem aut vanitatem, sed indigentias et capacitatem auditorum consulat, unice intendens gloriam Dei et salutem populi? — An curet, ut successu temporis integrum doctrinae catholicae comple-

[1]) Consuetudo, ex tempore, ut ajunt, concionandi sive sermones aliorum typo impressos memoriae mandandi merito damnatur. Pii et periti concionatores thema pertractandum per quindecim vel octo saltem dies praemeditantur, nec ejus scriptionem vel delineationem omittunt, nec ad ultimum usque diem differunt.



xum[1]) populo tradat, nullum fidei morumque caput sive ex incuria sive ex incredulitate sive ex respectibus humanis omittens? — An etiam de vitis Sanctorum et de sacrarum ceremoniarum vi et sensu fideles instruat? — An fideles non tantum in abstracto doceat, sed et ad optima quaeque efficaciter moveat iisque media ac remedia specialia indigitet, quibus vitam modo christiano instituere, vitia aevo dominantia effugere, pericula salutis declinare valeant? — An in perstringendis ac increpandis vitiis modum non excedat, aut pro domo sua, ut ajunt, et cum offensione singularum personarum declamare amet? — An non, sive ex ambitione, sive ex indiscreto zelo, sive ex

[1]) In hunc finem suadendum est, ut animarum curatores non semper interpretandis evangeliorum pericopis immorentur, sed etiam themata sibi invicem cohaerentia per longiorem concionum seriem pertractent, exponendo v. g. 12 articulos symboli apostolici, 10 praecepta decalogi, 7 sacramenta, doctrinam de Missae sacrificio ejusque ceremoniis etc. Haec cyclica concionandi methodus non tantum utilior populoque amoenior est, sed quodammodo etiam facilior sacerdoti.

frivola mente res profanas, paradoxas, fabulosas, jocosas, extravagantes, piarum aurium offensivas, adulatorias etc. de suggestu proferat? — An in concionando gravem, modestum, a fastu mundano alienum, non somnolentum, sed fervidum et zelo Dei plenum se exhibeat? — An a concionandi onere ex futili nonnumquam praetextu se eximat, aut nonnisi coacte illud in se suscipiens tempori utcumque explendo, non populo aedificando studeat? — An doctrinam ex suggestu traditam exemplo suo corroborare, piisque precibus adjuvare nitatur.

## E. De munere catechisandi.

„Videte, ne contemnatis unum ex his pusillis.“ Math. 18, 10.

Se interroget sacerdos:

An praescriptum pro catechesibus ecclesiasticis tempus alioquin satis parcum numquam neglexerit? — An ad has catecheses solicite se praeparaverit, tamquam ad opus nec facile nec contemtibile? — An cum vivo zelo, diligentia et suavitate catecheses tradiderit, ita ut et parvuli et adulti iis possent erudiri, pie delectari et moveri? — An laicos, qui ipsum in officio catechisandi adjuvant, prudenter diregere et ad fervorem excitare non omiserit? — An in scholis horas



pro doctrina religionis assignatas diligenter impenderit? — An parvulis amorem religionis inspirare, eosque affabili tractandi modo Christo lucrifacere studuerit, remota tamen omni sensualitate? — An ludimagistro saeculari prudenter invigilaverit eumque in omni officio adjuverit? — An tum in schola tum extra scholam in eo operam navaverit, ut parvuli a vtiis detineantur, et ad exercitia pietatis practice instituantur? — An parentes prolium bene educandarum incurios monuerit et docuerit? — An hebetes et omnino rudes, quamvis adultos, privata etiam institutione erudire non recusaverit? — An bonorum librorum lectionem promovere studuerit?

## De quibusdam officiis specialibus parochorum.

„Diligis me?... Pasce agnos meos.“ Joann. 21, 16.

Parochis specialiter incumbit: consacerdotes juniores seu fratres amplecti, ad rectam fidem et pietatem instituere et excitare, in negotiis curae animarum pie prudenterque dirigere et juvare — ecclesiae nitori et decori, praesertim integritati et munditiei sacrae supellectilis, paramentorum et linteaminum prospicere — propriam domum more

vere christiano et ecclesiastico instruere — domesticis et familiaribus, ne parochianis scandalum prebeant, quam diligentissime invigilare, eosque ad pietatem suo exemplo instituere — debitam in mensa frugalitatem nec non modestam hospitalitatem observare — rei oeconomicae discrete vacare, haud neglectis officiis ecclesiasticis — publica scandala inter parochianos pro viribus tollere — frequentiam Sacramentorum, exercitia devotionis et quaecumque in salutem animarum inserviunt, promovere — scholarum optime moderandarum curam gerere — pauperes, afflictos, aegrotos paterno amore prosequi et juvare — jura ecclesiae tueri — sacros canones et mandata Episcopi dioecesani revereri et iisdem obtemperare.

---



## Praeclara gratiarum actio post S. S. Communionem.

1. Ad quem diu suspiravi Jesum tandem habeo, Hunc amplector, quem optavi, quem optavi, teneo! Omnes meae exsultate facultates animae, exsultate triumphate et ingresso plaudite!
2. Tristis eram et abiectus, eram sine gaudio, quia aberat dilectus, quem prae cunctis diligo, sed ut venit et intravit animae tugurium, o quam dulce permeavit meum cor solatium.
3. Non sic terras umbris tectas gratus sol illuminat, non sic aestibus deiectas nimbus herbas recreat, sicut animam languentem refocillat Dominus, hanc tristantem et torpentem novis donat viribus.
4. Felix dies, felix hora, qua me, Jesu, visitas, pulchra nimis et decora lux, qua ad me properas. Qui Te tenet, habet satis, quia, qui Te possidet, uberem felicitatis verae fontem obtinet.
5. Quis non Tuam admiretur bonitatem, Domine, si, quod facis, meditetur serio examine! Ad Te ruo, ad me ruis et me sinis protinus immiscere meos Tuis amplexus amplexibus.
6. Nihil eram, me creasti ex obscuro nihilo divinaeque me donasti rationis radio; pro me nasci voluisti in deserto stabulo, et finire morte tristi vitam in patibulo.
7. Praeter dona quibus ditas me diebus singulis, dapes hodie melittas datis addis gratiis. O voluptas cordis mei, Jesu dilectissime, in me regna, Fili Dei, regna, regna libere.

8. In me proprium amorem tam potenter eneces, ut Te amem et adorem solum, sicut dignus es, in me tolle, quod est puris grave Tuis oculis; ut sic arctius venturis Tibi jungar saeculis.

9. Oriente sole mane, occídente vespera, bone Jesu, mecum mane, mecum semper habita! Nil a Te, nec mors nec vita, nil a Te me separet; unio sit infinita, quam vis nulla terminet.

10. Canam donec respirabo gratiarum cantica, millies haec iterabo in coelesti patria, quando Te, remoto velo, sicut es, aspiciam, et cum Angelis in coelo in aeternum diligam. Amen.

## DEC[illegible]AE

I. Ordinem diurnum et ecclesiasticam vivendi normam tibi statue, quam saepe relegas.

II. Orationi ferventer stude; piae meditationi et lectioni quotidie vaca, et officium divinum religiosissime semper persolve.

III. Missae sacrificum cum debita praeparatione et gratiarum actione devote celebra, et ss. Sacramentum saepe visita et adora.

IV. Officia vocationis tuae ita perfice, ut amor Dei sit principium, voluntas Dei sit norma, et gloria Dei sit finis omnium actionum tuarum.

V. Examen conscientiae verspertinum nulla die intermitte, et confessionem sacramentalem ad minimum singulis mensibus facito.

VI. Ad litteras theologicas diligenter incumbe; et periculosa mundi consortia fuge.

VII. Temperantiae et sobrietatis studiosus esto, diesque jejunii religiose serva.

VIII. Quotannis per aliquot dies exercitiis spiritualibus vaca.

IX. Beatissimam Virginem Mariam filiali devotione cole et sanctorum piis vestigiis insiste.

X In Sacratissimo Corde Jesu te semper inclusum tene.

Hoc fac et vives!

Potissimum quod in suis exercitiis spiritualibus intendit s. Ignatius, illud est: ut sanctam indifferentiam in cordibus stabiliat — ut totos nos divinae dispositioni et voluntati tradamus.